



Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. VII. Qua ratione attentata, seu innovata post appellationem extrajudiciallem sint revocanda? & de privilegiis, quæ competunt remedio revocandi attentata?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

quæ post appellationem attentata sunt, revocari debent *c. significante 69. h. t.* Non censetur tamen pars litigans, quæ cetero est in possessione rei litigiosæ, innovare aliquid, si re tali, dum appellatio & lis pender, utatur, neque usus talis inter attentata numerandus est.

§. VII.

Qua ratione attentata, seu innovata post appellationem extrajudicialem sint revocanda? & de privilegiis, quæ competunt remedio revocandi attentata?

Qui appellavit extra iudicium ex verisimilibus & probabilibus causis, ne in possessione sua molesteretur aut turbetur, potest postea spoliatus non tantum ut in pristinum statum restituatur, agere, sed per viam etiam attentati non tantum contra spoliantem, sed quemvis alium, si ve malæ sive bonæ fidei possessorem agere potest, ut fructus etiam percepti possint interpositam appellationem eidem restituantur. *c. Bona §. 1. h. t.* qui enim rem spoliatam detinet, in præiudicium spoliati appellantis detinet, & consequenter non tantum ratione huius, sed etiam ratione fructuum conveniri potest per viam attentati. Et hinc apparet, quod remedium revocandi attentata, pendente appellatione, longè uberius & pinguius sit, quam interdictum unde vi, seu recuperanda possessionis, cum illi plura privilegia competant, quæ huic non conceduntur: primo enim per viam attentati agi potest contra bonæ etiam fidei possessorem, si post appellationem

Irving. Compend.

res, ratione cuius appellatum fuerat, in eum delata fuit, ut ex modò dictis patet. Secundò non debet servari ordo iudiciarius, si remedium revocandi attentata intentatur, sed sufficit imploratio Iudicis officio de plano & summarie procedere. Tertio competit etiam hoc attentati remedium pro rebus mobilibus. Quarto non potest opponi agenti per viam attentatorum notorius defectus proprietatis, aut exceptio alterius spoliationis, vel excommunicationis. (saltem in appellatione judiciali, quæ se potius habet ut defensio, licita etiam excommunicatis, quam ut actio illis prohibita.) Quintò non requiritur allegare & probare titulum, si per viam attentati revocandi in causa beneficii agatur &c. quæ tamen vel requiruntur, vel saltem non requiruntur in interdicto unde vi.

§. VIII.

Quis Iudex cognoscere possit de revocatione attentatorum post appellationem?

Cognoscere, num attentata post appellationem sint revocanda, ad Iudicem appellationis pertinet, qui enim de principali cognoscit, de appellatione scilicet cognoscit etiam de accessoriis, seu connexis, uti sunt attentatorum revocatio. *c. Sollicitudinem §. 4. h. t.*

¶(o)¶

F f f

SECTIO